



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 9. Vtrum fides ministri sit de necessitate Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS IX.

Utrum fides Ministri sit de necessitate Sacramenti?

24
Sententia
Hæretica
affirmat.

Primus qui docuit fidem necessariam ad Sacramenti perfectionem, videtur fuisse Agrippinus Carthaginensis Episcopus ante tempora Cypriani; quem secutus est postea Cyprianus, & plurimi Africa Episcopi. Pro qua sententia stabilenda Cyprianus coëgit tres Synodos in Africa, quarum meminit D. August. lib. 2. de Baptismo. cap. 9. & lib. 3. cap. 1. Idem postea cum pertinacia tenuere Donatistæ, & alij artic. 5. citati.

Catholica
negat.

Verum fide tenendum est, Baptismum ab hæreticis collatum, & alia Sacramenta, si nihil ex necessarijs desit, legitima esse. Hanc veritatem admittunt hæretici nostri temporis.

Probatur Primò, Ex vniuersalis Ecclesiæ traditione, & consuetudine, quæ vbique vsque ad tempora Agrippini perseverauit, qui primus cepit illam mutare, baptizatos ab hæreticis rebaptizans: vt docet Stephanus Papa epist. ad Cyprianum; & D. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 8. & Vincentius Lirinensis in suo Opusculo, vbi ait, *Primus omnium mortalium (scilicet Agrippinus) contra diuinum Canonem, contra vniuersalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem & instituta maiorum rebaptizandum esse conserbat*, scilicet baptizatum ab hæretico.

Concilia

Probatur Secundò, Ex Concilij. Nam statim post mortem Cypriani hæc veritas definita est in Concilio plenario, vt testatur D. August. multis locis, scilicet lib. 2. de Baptismo. cap. 3. 4. 5. 7. 9. quod Concilium videtur fuisse Nicænum, nam etiã Hieronymus in Dialogo cõtra Luciferianos sub finem, dicit Concilium Nicænum recepisse eos, qui ab hæresi redirent, singulos in suo gradu, præter Paulianistas, de quibus habemus in Canone 19. vbi Paulianistæ & Cataphryges iubentur rebaptizari, eò quod non vterentur legitima forma. Canone tamen 8. recipiuntur Nouatiani absque iteratione baptismi, quia scilicet legitimã formã vtebantur, etsi essent hæretici. Idem probatur ex Concilio Arelatensi I. can. 8. & Carthagi-

nensi I. can. 1. Denique ex Constantiensi scilicet 8. quatenus damnat Articulum 4. Wiclefi. Et ex Tridentino scilicet 7. can. 4.

Probatur Tertio Rationibus artic. 5. allatis. ^{Ratio} Præcipua ratio est, Quia Sacramenta habent efficaciam ex institutione & meritis Christi; vnde parum refert, qualis sit minister, siue fidem habeat siue non. Sicut enim Ministri merita non tribuunt Sacramento virtutem, ita nec de merita adimunt. Vide D. August. tractatu 5. & 6. in Ioannem.

Sed contra. Obijciuntur varia testimonia ex Scripturis, quæ refert & soluit D. Augustinus septem libris contra Donatistas, potissimum duobus posterioribus. Præcipua sunt ea, quæ probant, extra Ecclesiam non esse salutem: sicut nec extra Arcam Noë, quæ Ecclesiæ erat figura.

25
Extra Ecclesiam non est salus, & quomodo.

Respondeo, Qui est extra Ecclesiam, non potest saluari, sicut neque extra Arcam: tamen qui est in Ecclesia, fidem Ecclesiæ tenens, potest accipere ea per quæ saluatur, ab eo qui est extra Ecclesiam. Sicut si hæreticus alicui traderet Ecclesiæ doctrinam, illum faceret fidelem: ergo pari ratione, si traderet ei Ecclesiæ Sacramenta, faceret Christianum: non enim hæresis in illas functiones influit; sicut nec morbus Medici in curationes ægroti, quare nec vitiat eas.

Nec obstat; Quod sit vnum Baptisma; quia hæreticorum Baptisma, est Baptisma Christi. Vnum enim dicitur Baptisma, quia ab vno institutum & ab vno vim habet, cuius nomine in vna forma & materia celebratur, nec variatur pro meritis Ministrorum. Reliqua testimonia, si quid efficerent, non minùs probarent de Sacramentis, quæ conferuntur à malis Catholicis, quàm quæ ab hæreticis: vnde non minùs contra Cyprianum faciunt, quàm pro illo, qui per malos, si fideles sint, sentit conferri vera Sacramenta.

Vnum Baptisma, & quomodo.

ARTICVLVS X.

Utrum intentio recta Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti?

Hic Articulus intelligitur ex dictis Articulo 8.

Q V Æ S T I O L X V.

De Numero Sacramentorum.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Utrum debeant esse septem Sacramenta Ecclesiæ?

1
Discrepantia
Hæretico-
rum.

Hæretici huius temporis in eo contumunt quod nolint esse septem Sacramenta; sed discrepant & à seipsis interdum, & alij ab alijs in statuendo numero Sacramentorum. Lutherus de Captiuitate Babyl.

fol. 65. Neganda mihi sunt septem Sacramenta, & pro tempore ponenda tria; Baptismus, Penitentia, Panis. Paulò post fol. 88. rigidè loquendo dicit tantum esse duo, Baptismum & Panem: quia hæc sola constant signis visibilibus, & habent diuinã promissionem. Penitentia autem caret signo visibili diuinitus instituto. Alibi, scilicet lib. ad Waldenses, dicit propriè & more Scripturæ loquendo esse tantum vnum, scilicet Baptismum. Philippus Melanthon in locis communibus anni 1522. ponit duo tantum, nec plura inueniri dicit apud Augusti-

Ccc iij Augusti-